



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXVII. Epilogus cum prectaione ad S. Kvnegvndem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Epilogus cum precatone ad S. Kunegundem.*

**H**AEC paucissima de virtutibus & signis CHVNE-  
GVNDIS sanctissimæ Virginis prudentissimæ cha-  
ritati vestræ inter innumerabilia dixisse sufficiat;  
quæ si quis euolutè perstringeret, prius ipsa pagi-  
na, quam materia deficeret. O beatam, ò prædicandam, quæ  
regnum mundi, & omnem ornatum seculi pro cælesti orna-  
tura despexit, Christum sibi sponsum regio spòso legaliter, nõ  
carnaliter copulata delegit; quæ Virginitatem suam inter re-  
gales thalamos probando, vt infamiæ malum sibi ab inuidis  
obiectum expurgaret, ignes calcavit. Quæ, dum non prolem  
morituram expectauit, eius casta generatio, nunquam passu-  
ra successione detrimentum, quando Ecclesia in filiis suis per  
elemosynas ipsius diuinæ laudis semper accipit incremen-  
tum; quam cum Christo suo, quem amauit, in quo credidit,  
quem dilexit, etiam post mortem viuere, signa crebra loquũ-  
tur. Ad memoriam eiusdem cæci visum, extincti vitam, muti  
loquelam, aures obstructæ recipiunt auditum.

Quantam igitur illam fuisse credimus, quæ viuens, nullo  
teste, dum iactantiam vitat, sola exercuit, cum tanta illam post  
mortem signa fecisse, sub oculis omnium viderimus. Ad nos  
ergò signa ista, quæ foris miramur, intus transferamus, vitam  
nostram & mores corrigamus, vt si virginis consortium non  
meremur, post decliua vitiorum sit nobis præmium per Vir-  
ginem tantum supplicium euasisse peccatorum.

*Virginis iste docet CHVNEGVNDIS gesta libellus,*

*Plura tamen dicenda tacet, dum flumine mergi  
Cymba timet; moritur, quæ tangit, bestia montem.*

*Sed, quæ lingua silet, pro virgine signa loquuntur,*

*Quæ famam laudis eius tam crebra loquuntur,*

*Dum cæcis, mutis, claudis optata salutis*

*Cura venit, dum languor abit febrisq; recedit.*

*Vire*

Vita redit, recipitq; cutis conspersa colorem.  
 Hoc potuit, qui cuncta potest, dare Virginitati.  
 Qui montes transferre valet, dare credulitati.  
 Nupta viro sub lege viri vult Virgo latere,  
 Sponsa subarrata, sponso tamen inuiolata,  
 Et Christum sub corde virum sibi legit habere.  
 Seruat Virgo fidem; res claruit igne probata.  
 Discite coniugium calebs, vbi nulla voluptas  
 Qui sine mistura seruant legalia iura,  
 Cuncta nihil pensant, quæ mox fuerint ruitura:  
 Hic in spe fructus mittentes semina luctus  
 Gaudia longa metent agnumq; sequuntur in albis.

## Oratio.

**O** Ramus te virgo sanctissima, Imperatrix gloriosissima, quæ terras misericordiarum tuarum operibus, cælos respersisti virtutum floribus, fluctuantibus in mundo tuis assiste, procellas turbinosas aduersantium tuis orationibus propelle, cunctos tibi deuotos, vitiis propulsis, perpetuò tuis fac gaudere beneficiis & meritis, & omnes scribentes, siue fidelium legentes huius textum lectionis fructu non priuentur suæ partæ deuotionis, Amen.

*Precatio Au-  
 thoris ad S. Kvne-  
 gundem.*



## NOTATIONES IN VITAM

S. KVNEGVNDIS.

**V**is hanc vitam conscripserit, dicere non habeo, nisi fuerit Nonnosius Monachus, cui Hoffmannus in Annalibus Bamberg. hunc scætum tribuere videtur. Illud liquet, scriptorem hunc, diu post beatum sanctæ Virginis obitum vixisse, vtpote, qui Innocentium III. sub finem citet. Exstat quoque Tomo secundo Suriij. Sed hanc non paucis locis ab illa diuersam, ex Codice manu-

R scripto